



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvatio CIV. De peccato mortali & veniali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

DISPUTATIO CIIII.

De Peccato Mortali & Veniali.

PECCATUM mortale juxta communem Theologorum sententiam illud est, quod mortem affert anima, & eternam poenam meretur. Veniale autem, licet offensa Dei sit, tam gravia tamen damna non infert; nec enim hominem gratia, quae vita animae est, spoliat, nec viam ad caelum simpliciter intercludit, nec denique, qui illud admittit, gravem Dei offensionem incurrit. Haec porro circa mortale & veniale peccatum controversa, tota penè est cum haereticis; orthodoxi enim omnes in hac veritate conspirant, eamque contra Fidei & Ecclesiae hostes nervosè defendunt. Quod si unus vel alter ab hac veritate desivisse aliquando videatur, aut placitum illud suum postea revocavit, aut in sano sensu explicari potest.

Quid sit peccatum mortale, quid veniale.

Hac controversia tota est cum haereticis.

SECTIO PRIMA.

Rectè assignata sit haec peccati in mortale & veniale divisio.

I. Error Stoicorum dicitur peccata omnia esse aequalia.

ANC peccati divisionem reipsa negarunt Stoici, utpote qui peccata omnia dicebant esse aequalia. Ratio eorum erat, quod virtutes omnes essent in perfectione parcs. Sed hoc fundamentum nullum est, supra enim Disp. 97. ostendimus inter virtutes, alias aliis esse perfectiores. Nec etiam quidquam momenti habet quod aiunt ideo peccata esse aequalia, quia sunt recessus à virtute, recessus autem, inquit, consistit in indivisibili. Sed hoc, ut dixi, nullius est momenti, in recessu enim maxima est differentia, & alia magis alia minus à re aliqua recedunt, ut tum in recessu locali, tum in aliis constat; colores enim omnes recedunt ab albedine, & tamen maxima inter eos est differentia & inaequalitas, & unus plus, alius minus ab eà recedit. Hic error ulterius impugnabitur, iis omnibus quae mox contra haereticos afferemus.

Maxima esse peccati in recessu inaequalitas.

II. Joviniani, Pelagii, & Wicleffii circa mortale peccatum & veniale error.

Hunc etiam errorem teste Divo Augustino lib. de haeresibus, cap. 82. & S. Hieronymo lib. 20. tenuit Jovinianus, qui inter mortale & veniale peccatum discrimen penitus sustulit, & omnimodam inter ea posuit paritatem. Jovinianum secutus est Pelagius, omneque omnino peccatum dixit esse mortale, & per illud justitiam amitti: qui proinde ne nullos assereret in Ecclesia esse justos, homines in hac vita sine omni peccato vivere posse affirmabat. Tandem Joannes Wicleffius peccatum omne dicebat esse mortis aeternae inducivum: imò eo audacia & impudentia progressus est, ut Ecclesiam reprehenderet, quod mortale inter & veniale peccatum discrimen ignoraret.

Wicleffii impudentia.

III. Quid de peccato mortali & veniale distinctione senti-

Nostro hoc saeculo non minus monstrorum ferace, quam fuere praecedentia, imò multo feracior, utpote in quo & sepulti dudum, oblivionique propemodum traditi antiquorum errores tenebris denovo eruuntur, & nova cuduntur

dogmata, veritati Fidei Ecclesiaeque scitis contraria: nostro itaque hoc saeculo, ut in aliis plurimis, ita & in hac de peccato mortali & veniali controversia errant sectarii; quamvis enim nomine tenus distinctionem peccati mortalis & venialis admittant, re tamen verà omnem inter illa differentiam tollunt; peccatum enim quodcumque ex natura sua mortale esse pronunciant etiam ipsos motus concupiscentiae necessarios, in justis tamen quaedam ex Dei misericordia fieri dicunt venialia: ita Calvinus lib. 2. instit. cap. 8. Lutherus verò de captivitate Babylonica, licet peccata omnia in infidelibus velit esse mortifera, in baptizatis tamen ait solam infidelitatem esse peccatum mortale, unde hominem fidelem quaecumque committat scelera, affirmat salutem perdere non posse, nisi nolit credere. Cujus tamen doctrina cum eum postea puderet, eandem retractavit.

ant neutra temporis haereticis.

Peccata omnia naturam suam esse mortalia affirmant hujus aetatis haeretici.

IV. Quo sensu aliqui ex Catholicis asseruerint omnia peccata esse mortalia.

Ex Catholicis etiam nonnulli peccatum omne, etiam veniale, asserunt esse ex natura sua mortale, quaedam tamen semper reddi aiunt venialia, non quod existant in justis vel praedestinis, ut volunt haeretici, sed quod Deus sive in fidei sive in infidei semper ea leviter imputare & punire decreverit, ac proinde per hoc docent ea semper esse venialia. Ita sentire videtur Gerson de vita spiritali, lectione prima, & alii nonnulli: quam etiam sententiam docet Michael Baius lib. 2. de meritis operationum, cap. 8. hic tamen propius accedit ad opinionem haereticorum, cum hoc ascribere videatur justificationi, cujus proinde in Bulla Pii V. & Gregorii XIII. hic articulus inter alios refertur & damnatur: Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam.

Michaelis Baii propositio damnata.

V. Peccata quaedam ex natura sua gravia sunt, quaedam levia.

Dicendum nihilominus cum certissima orthodoxorum sententia, differre ex natura sua peccata venialia à mortalibus, ita ut quaedam peccata esse gravia sint, quaedam levia, non ex mera ordinatione divina. Probatur primò: in Scriptura etenim quaedam peccata comparantur maximis, quaedam minimis rebus, ut culici, camelo, festuca, trabi, & cetera, ergo aliqua sunt ex natura sua gravia, aliqua levia, alioqui omnia aequè similia essent, camelo & trabi, ac culici & festuca. Probatur

Probatur

VI.
Deus peccata
venialia non
tollit dignis,
eandem in-
fligit.

Probatur secundò : Deus enim peccatis pœnâ æternâ dignis, eandem infligit : sic Ezech. 18. vers. 4. dicitur, *Anima quæ peccaverit ipsa morietur* : & impietas impij erit super eum, Matthæi item 5. vers. 26. *Non exies inde donec reddas novissimum quadrantem*; ergo si peccata venialia ejusmodi etiam pœnam mereantur, absque fundamento dicunt Sectarii illam non infligi.

VII.
Quaedam
peccata vel
ex objecto
sciuntur esse
gravia, qua-
dam levia.

Confirmatur : nam lumine naturæ notum videtur, quædam delicta, vel ex ipso objecto maxime fœda, horrenda & abominabilia esse, quædam verò levia, utpote quæ inter amicos facile contingere possent, citra violationem amicitia, ergo &c. Confirmatur secundò : justi siquidem Dei que amici habent quædam peccata, sed hæc non sunt mortalia, sic enim tollent gratiam & justitiam, ergo : major probatur, Joannis namque primæ vers. 8. dicitur, *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, veritas in nobis non est*, & Jacobi 3. vers. 2. *In multis offendimus, cum tamen Apostoli, justi essent, utpote quibus dixit Christus Joannis 13. vers. 10. Vos mundi estis : unde juxta S. Augustinum, Iustorum illa vox est humilis & vera, Dimitte nobis debita nostra*. Videantur plura in Bellarmino citato.

Peccata ali-
qua reperiri-
tur in justis,
qua tamen
non possunt
esse mortalia.

Ad illud verò Matthæi 5. respondent aliqui cum Sancto Chrysostomo & Theophylacto in hunc locum, per minima mandata ibi intelligi mandata illa, quæ Christus ibidem adjecit supra justitiam Scribarum & Phariseorum, nempe non concupiscendum, non odio habendum proximum &c. quæ licet gravia, minora tamen sunt illis aliis, non occides &c. Secundò dicunt alii cum Sancto Hieronymo, hoc loco intelligi, non eos qui solummodo malè agunt, sed etiam doctrinam Sacram depravant, & hac ratione alios docent, malè legem explicando, quod ex genere suo est peccatum grave. Ad Confirmationem negatur major, multa enim mala sunt ex se, & ideo à Deo prohibita, unde si leviter tantum sint contra rationem & ut talia prohibentur, leviter etiam displicebunt post prohibitionem, si ut talia cognita fiant. Unde sicut inter homines, ita & à Deo aliquid leviter prohiberi potest, sicque si fiat, non erit peccatum grave, nec hujusmodi peccati stipendium erit mors, sed solum peccati antonomastice dicti, quod est solum mortale.

SECTIO SECUNDA.

Argumenta contententia peccata venialia & mortalia non distingui.

I.
Argumentum
calcularium
ad
probandum
non dari pec-
cata venia-
lia.

OBIICTIES primò : ponamus argumentandi gratiâ materiam furti gravis, esse viginti asses : si quis ergo viginti asses furaretur, committeret peccatum mortale, ergo & qui furaretur novendecim, cum quantum furtum viginti assium superat furtum novendecim, tantum hoc secundum furtum superet furtum octodecim, & sic de cæteris, ergo vel furta omnia usque ad furtum duorum vel trium assium erunt mortalia, vel nec furtum viginti assium, nec cujuscumque summæ majoris erit mortale, cum quæcumque summâ statutâ, eadem fieri possit calculatio.

II.
Hoc argu-
mentum non
probat nulla
dari peccata
venialia.

Sed contrâ : hoc enim argumentum nullo modo probat non dari ulla peccata venialia, sed ad summum non dari in hac particulari materiâ, quo tamen non obstante dari poterunt peccata venialia in alio genere, ut verba otiosa, mendacium jocosum & officiosum, item illa quæ per surreptionem, & indeliberationem committuntur &c. De quo sectione sequente redibit sermo.

III.
Non propter
excessum
unius assis
furtum vi-
ginti assium
est mortale.

Deinde, ne quidem in hac materiâ probat non dari peccatum veniale. Respondetur itaque, non ideo præcisè furtum viginti assium esse mortale, quia uno assis superat furtum novendecim, sed quia viginti asses simpliciter ab omnibus censentur materia gravis, quæ proinde, & omnes illi superiores constituunt quantitatem sufficientem ad peccatum mortale; quæcumque autem quantitas ad hanc non accedit, constituit solummodo peccatum veniale. Sic etiam in ebrietate ultimus haustus, quamvis exiguus, eo ipso tamen quod inducat ebrietatem, constituit peccatum mortale, antecedentes verò, si cum levi intemperantiâ sumantur, constituunt peccata venialia.

IV.
Varia Scri-
ptura loca
objiciunt
hæretici.

Objiciunt hæretici secundò varia Scripturæ loca, Matthæi enim 5. vers. 19. dicitur, *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines &c.* Sic etiam dicitur mors stipendium peccati : item

mors & pœna æterna assignatur iis, qui legem violant. Confirmatur : peccata ideo solum displicent Deo, quia sunt contra ipsius legem, sed omnia sunt æqualiter contra legem, ergo omnia ex se æqualiter etiam sunt mala.

Sed hæc Scripturæ loca etiam urgent hæreticos : probare enim videntur, non solum peccata omnia esse mortalia, sed de facto puniri morte & pœnâ æternâ. Respondetur ergo sermonem plerumque esse de decalogo, si quis verò violet unum ex illis præceptis, meretur pœnam æternam, non autem censetur violari absolute & simpliciter per peccatum veniale, sed solum secundum quid, ob levitatem scilicet materiæ : sicut in humanis non censetur quis simpliciter violare leges amicitia, ex eo quòd amicum, levi aliquâ negligentia aut verbo subinde offendat.

Ad illud verò Matthæi 5. respondent aliqui cum Sancto Chrysostomo & Theophylacto in hunc locum, per minima mandata ibi intelligi mandata illa, quæ Christus ibidem adjecit supra justitiam Scribarum & Phariseorum, nempe non concupiscendum, non odio habendum proximum &c. quæ licet gravia, minora tamen sunt illis aliis, non occides &c. Secundò dicunt alii cum Sancto Hieronymo, hoc loco intelligi, non eos qui solummodo malè agunt, sed etiam doctrinam Sacram depravant, & hac ratione alios docent, malè legem explicando, quod ex genere suo est peccatum grave. Ad Confirmationem negatur major, multa enim mala sunt ex se, & ideo à Deo prohibita, unde si leviter tantum sint contra rationem & ut talia prohibentur, leviter etiam displicebunt post prohibitionem, si ut talia cognita fiant. Unde sicut inter homines, ita & à Deo aliquid leviter prohiberi potest, sicque si fiat, non erit peccatum grave, nec hujusmodi peccati stipendium erit mors, sed solum peccati antonomastice dicti, quod est solum mortale.

Objiciet aliquis tertio : illud peccatum est mortale, quod seclusâ omni gratiâ condonatione Dei, excluderet perpetuò e regno cælorum, & mereretur semper puniri, sed tale est omne peccatum, etiam veniale, ergo. Confirmatur primò : ex illo Joannis 13. vers. 8. ubi ait Christus Sancto Petro, *Si non laveris te, non habebis partem mecum*. Confirmatur secundò : omne opus bonum, etiam minimum, meretur ex naturâ suâ & bonitate intrinsecâ vitam & præmium æternum, ergo & omne malum æternam pœnam.

Ad argumentum negatur minor, licet enim secundum communem sententiam veniale peccatum conjunctum cum mortali perpetuò puniatur in inferno, hoc tamen est per accidens, unde cum homini sine peccato gravi decedenti debeatur beatitudo, debetur etiam remissio venialium, saltem in sequente vitâ, cui enim debetur finis debentur media. Ad primam Confirmationem dico, nil aliud inde inferri, nisi ut homo ingrediatur cælum debere ipsum mundari à peccatis etiam venialibus, vel hic vel in alia vita. Ad secundam Confirmationem Respondetur, opus bonum non ex se & naturâ suâ intrinsecâ præcisè, mereri præmium æternum, sed prout dignificatur & vivificatur à gratiâ : unde nec opus etiam malum merebitur pœnam æternam, nisi sit enormiter contra rationem.

Objicies quartò : committi nunquam potest peccatum veniale ob bonum quantumcumque maximum, conversionem exempli gratiâ totius mundi, ergo est malum longè maximum. Confirmatur, possit

V.
Per peccata
venialia non
violantur
simpliciter
& absolute
præcepta.

VI.
Varia multa
explicatur
à Patribus
id quod do-
cet Christus
de mandatis
minimis.

Quaedam
peccata gra-
viter, qua-
dam leviter
sunt contra
rationem.

VII.
Obj. Omne
peccatum
perpetuò ex-
cludit e cæ-
lo, ergo om-
ne peccatum
est mortale.

VIII.
Peccatum
veniale ex
se non ex-
cludit e cæ-
lo.

Quomodo
aliqui bonum
mereatur
cælum, a-
liis malum
infernum.

IX.
Obj. committi
etiam ob ma-
ximum bo-
num nequit
peccatum
veniale, er-
go est quid
gravius, nisi
possit

posset enim Deus hominem ob solum peccatum veniale æternis suppliciis addicere, ergo per se, seu ex naturâ suâ meretur pœnam æternam, & consequenter est mortale.

X. *Declaratur cur peccatum, etiam veniale, committi nequeat, vel ad maximum bonum faciendum, vel malum vitandum.*
Ad argumentum Respondetur nimium probare: nec enim fas est peccatum aliquod veniale committere, etiam si foret occasio ut alter vitaret quodvis peccatum mortale, & tamen nemo opinor dicet mendacium officiosum esse æquè malum ac homicidium, blasphemiam, vel sacrilegium, aut etiam æquale omnibus his simul sumptis. Ratio itaque cur peccatum, etiam levè, admittere nunquam licet, est quia est quid intrinsecè malum, quod semper est illicitum; nec enim sunt faciendâ mala ut eveniant bona: & hinc solum probatur peccatum veniale esse malum alterius rationis ab aliis malis, quæ non sunt peccata. Ad Confirmationem dico: si Deus hoc faceret, non faceret ut iudex & vindex peccati, sed ut absolutus Dominus, qui secundum absolutam suam potentiam re suâ utitur ut libet: sicut etiam faceret si hominem innocentem, ut potest, perpetuis in inferno addicere vellet tormentis.

XI. *Peccatum veniale quamvis offendat Deum infinitum, non tamen est mortale.*
Objicies quintò: peccatum veniale infinitam Dei Majestatem offendit, ergo est mortale. Respondetur peccatum veniale, quamvis offendat Deum infinitum, eum tamen leviter tantum offendit; sicut enim filius patrem, servus Dominum, subditus Regem leviter offendere potest, ita & creatura creatorem.

XII. *Nec mortalia omnia inter se, nec venialia si invicem collata, sunt æqualis gravitatis.*
Hinc infero, non solum omnia omnino peccata non esse æqualia, ut jam contra hæreticos ostensum est, cum peccata mortalia & venialia maxime inter se discrepent; ut vidimus; infero inquam comparando etiam mortalia cum mortalibus; alia aliis esse graviora. Idem similiter est de venialibus, si sibi invicem conferantur.

SECTIO TERTIA.

Alia quedam circa peccatum mortale & veniale.

I. *Peccata ex triplici maximo capite redduntur venialia.*
PECCATA venialia ex triplici præcipuè oriuntur capite, aliqua enim sunt quæ ex naturâ suâ semper sunt levia & venialia, quale est verbum otiosum, mendacium officiosum, & similia: alia defectu deliberationis, licet alioqui materia sit gravis, ut in pravis quibusdam motibus contingit: alia demum sunt, quæ licet ex naturâ & genere suo sint gravia, ob parvitatem tamen materiæ redduntur levia, ut furtum unius oboli. In hoc verò circa res morales contingit sicut circa Physicas, in quibus aliqua sunt magna mala, aliqua parva, ut magna & parva pœna, magni & parvi morbi, & sic de cæteris.

II. *Peccatum mortale & veniale, esse sepe non differant specie physica, semper tamen differunt specie morali.*
Peccatum mortale & veniale licet non differant sæpè specie Physicâ, semper tamen differunt specie morali. Primum constat in magno & parvo furto, & similibus. Unde idem actus, etiam internus Physicus potest transire de venialiter in mortaliter malum, ut in materiâ de actibus humanis dixi de illo qui cum veniali intemperantia comederet carnes die veneris, non advertens prohibitionem, & eam postea advertens pergeret, & eundem voluntatis actum cum actu indeliberato intellectûs inchoatum continuaret cum deliberato. Secundum etiam constat: sicut enim illa differunt specie Physicâ, quæ magnam habent inter se dissimilitudinem

R.P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

Physicam, & effectus valde diversos, ita & specie morali, ut hic contingit; peccatum quippe mortale reddit hominem dignum odio Dei, & pœnâ æternâ, privat etiam gratiâ, sicque irreparabile est ab intrinsecò, cum non relinquat jus ad gratiam, ac proinde ex naturâ suâ constituit in termino, ut de facto contingit Angelis, quibus Deus post primum peccatum nullam dedit gratiam, qua possent resurgere: hæc autem peccato veniali non contingunt.

Hinc sequitur, plurima, imò etiam infinita, si darentur, venialia non constatura unum mortale formaliter: unde in pluribus furtis parvis ultimum est mortale, quia ut connotans priora complet materiam gravem, & causat notabile damnum, sicut ultimus haustus in ebrietate. Dixi formaliter, dispositivè enim causant frequenter peccatum mortale, dicente Spiritu Sancto *Qui parva negligit parvum ad majora ruet.* Quo sensu capiendus est Sanctus Augustinus dum ait multa venialia animam perimere, sicut multæ aquæ guttæ navem submergunt, quod alio modo intelligi nequit, quam dispositivè cum Concilium Tridentinum absolute de venialibus dicat ea esse levia, non tollere gratiam, nec esse materiam confessionis necessariam.

Tandem circa peccatum mortale & veniale dici solet, peccatum mortale esse contra, veniale præter legem: ita S. Thomas 1. 2. q. 88. art. 1. ad primum, & alii; Suarez d. 2. de peccatis sect. 5. Sanchez lib. primo in decalogum cap. 1. num. 2. & 3. & ex Theologis non pauci. Ratio est: vel enim peccatum veniale est actus deliberatus in levi materiâ, vel indeliberatus in quacumque: si hoc dicatur, non est, inquit, peccatum simpliciter, cum non sit actus humanus & rationalis simpliciter, sed solum secundum quid: si dicatur primum, nec etiam est peccatum & transgressio simpliciter, quia quisquis non peccat mortaliter, dicitur simpliciter observare legem, & mandata, omnique iustus censetur legis servator, qui tamen in peccata venialia septies cadit in die; unde de Sanctis Zachariâ & Elizabeth dicitur Luca 1. v. 6. Incedentes in mandatis Domini sine querelâ, quos tamen non est dubium subinde peccasse venialiter.

Alii tamen cum Bellarmino volunt peccatum veniale esse simpliciter contra legem: dici nihilominus illud præter, non contra legem, quia non tollit charitatem, quæ est finis legis, nam plenitudo legis est dilectio: cum ergo secundum quid solum sit contra hanc, non simpliciter; censetur etiam hoc sensu, non simpliciter, sed solum secundum quid violare legem, nec tam contra quam præter eam. Arbitror in re coincidere utramque sententiam.

SECTIO QUARTA.

Quo modo advertentia requiratur ad peccatum.

DIXIMUS ratione diversæ deliberationis seu advertentiæ peccatum veniale transire posse in mortale: nunc ergo videndum quo pacto advertentia ad rationem peccati concurrat, & num semper requiratur, præsertim cum detur peccatum inadvertentiæ.

Dicendum cum P. Vasquez hic d. 107. cap. 3. Tannero d. 4. q. 5. dub. 5. & communi sententiâ, ad peccatum omnem advertentiam aliquam etiam actualem

Mortale & veniale peccatum diversissimos habent effectus

III. *Infinita venialia non faciunt unicum peccatum mortale formaliter.*

Explicatur dictum quoddam S. Augustini.

IV. *Peccatum mortale est contra, veniale præter legem.*

Peccatum veniale non est transgressio legis simpliciter.

V. *Volunt alii peccatum veniale esse contra legem.*

I. *De advertentiâ.*

II. *Ad omnem omnino peccatum aliquam requiritur advertentia.*

actualem malitiæ requiri, saltem per modum suspicionis aut dubii: & ad mortale quidem ejusmodi esse debet hæc advertentia, ut sit plena & perfecta, seu expedita, ac deliberata, ob gravitatem scilicet rei, esto veniale peccatum cum minore, seu semiplena advertentiâ committi possit, cum cogitatione scilicet quadam imperfectâ, qualis in semidormientibus reperiri solet. Hæc verò advertentia non necessariò esse debet malitiæ formalis vel moralis sed solum Physicæ & objectivæ, seu quod objectum illud sit aliquo modo disconveniens naturæ rationali, ut supra in materiâ de actibus humanis fatius est declaratum.

Major ad peccatum mortale requiritur advertentia, quam ad veniale.

III. *Quicquid est peccati, debet esse voluntarium.*

IV. *Dari necessarium debet advertentia aliqua mali in objecto, saltem per modum dubii.*

V. *Qui nullam habet mali suspensionem, non potest advertere.*

Ratio Conclusionis unica & sufficiens est, quia quicquid est peccatum, esse debet voluntarium sub eâ ratione, sub quâ est peccatum, sed malitia nullo modo cognita nequit esse voluntaria, ergo nec refundere potest malitiam moralem in actum.

Dixi requiri cognitionem malitiæ saltem per modum dubii: si enim nullo modo in mentem veniat, nec ulla suspicio mali, eodem planè modo se habet homo ille respectu hujus objecti, ac si malum non esset: certè quicquid sit objectum in se, respectu operantis in hoc casu non est malum. Imò nec potest quis se ad considerandam objecti illius malitiam applicare, si nulla ei in mentem veniat eius suspicio: ut autem actus sit malus, debet quis liberè & humano more applicare se posse ad considerandam illius malitiam, quod tamen facere nequit, nisi aliquid habeat illius principium; hoc verò non habet, si nulla planè sit malitiæ in objecto illo contentæ advertentia.

Respondet Lorca & alii, qui contrariam tenent sententiam, ad peccatum sufficere quòd quis potuerit advertere, unde, inquirunt, si non advertat, sibi imputet. Sed contrà primò, jam enim ostensum est, si nullam planè habuerit mali suspensionem, non potuisse eum advertere. Contrà secundò, nam

si velint ipsum, quando actum elicit esse voluntariè distractum, vel aliam ejusmodi causam posuisse, ut advertere tunc malitiam non possit, non erit actus ille malus in se, sed solum in causâ; & in hoc consistit peccatum inadvertentiæ, quando scilicet advertit periculum oblivionis, & nihilominus pergit. Deinde dico, hic non committi peccatum sine actuali aliquâ advertentiâ malitiæ, non quidem quando actum exercet, sed pro aliquo antecedente, quod tamen non sufficit, ut hic actus quando exercetur, sit peccatum.

In quo consistit peccatum inadvertentiæ.

Plena itaque advertentia requiritur ad peccatum mortale, licet non semper recordentur homines se ejusmodi considerationem habuisse, vel ob consuetudinem, ab assuetis enim non fit passio, & quando cum magnâ facilitate aliquid facimus, non adhibendo peculiarem conatum, facile postea obliviscimur, vel etiam quia advertentiâ quamvis deliberata, fuit tamen valde tenuis; aliud namque est advertere, aliud advertere se advertere.

VI. *Hominis non recordantur frequentius se in peccatis inadvertentiæ habere.*

Quæ etiam sunt causæ, cur subinde homines peccent sine remorsu, vel si eum habuerint, facile illius obliviscantur: non tamen censetur peccatum ex malitiâ, nisi quando cognitio malitiæ est valde clara, imò & cum quodam erga illam affectu, vel etiam cum præcepti aut legislatoris quodam quasi contemptu. Et per hæc solvuntur omnia quæ opponunt adversarii, quos in re puto non aliud à nobis sentire.

VII. *Quis requiritur ad peccatum ex malitiâ.*

Quo modo verò in peccatis dicatur intervenire error vel ignorantia seu inadvertentia, juxta commune illud dictum Philosophorum, *Omnis peccans est ignorans*, dixi in materiâ de Angelis cum de peccato Angelorum. De ignorantia etiam seu inadvertentiâ antecedente, concomitante & consequente, quæ hic similiter recurrit, dictum fuisse est in materiâ de actibus humanis.

VIII. *Quis scilicet omnium peccatis sit ignorans.*

DISPUTATIO CV.

De subiecto peccatorum.

SUBJECTUM Peccatorum est duplex, remotum & proximum: hoc de variis animæ potentiis procedit, de quo agemus Sectione secundâ. De subiecto verò peccati remoto, quamvis hinc inde occasione datâ, in diversis Theologiæ partibus sparsim agi soleat, hinc tamen in gratiam studiosi Lectoris varia, quæ ad rem hanc spectant, congeram, ut quisquis hæc videre desiderat, isthic ea in unum locum collecta cernat, nec opus ei sit ad illa investiganda diversas Theologiæ materias percurrere.

SECTIO PRIMA.

De subiecto remoto peccatorum.

I. *Varia subiecta remota peccatorum proponit S. Thomas.*



ANCTUS Thomas q. 89. art. 3. 4. 5. & 6. difficultatem circa varia hujuscemodi subiecta movet: disputat verò S. Doctor de subiecto tantum peccatorum venialium, ut an reperiri potuerint in Angelis, in homine adhuc in statu innocentie degente, in

infidelibus, & in eo qui originale tantummodo peccatum haberet. Nos latiori modo rem tractabimus, nec de venialis tantum, sed mortalis etiam peccati subiecto inquiremus.

Prima Conclusio: beati nullius omnino peccati nec mortalis nec venialis subiectum esse possunt. Ratio est: nam visio & amor beatificus, quo Deum super omnia diligunt, & ardentissimè ad eum amandum rapiuntur, peccatum omne, etiam minimum excludunt. Deinde Beatitudo est status perfectissimus, ex bonorum omnium complexione

II. *Beati nullius peccati subiectum esse possunt.*